



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Toleti S. R. E. Cardinalis Svmma Casvvm  
Conscientiæ, Sive De Instrvctione Sacerdotvm Lib. VII**

**Toledo, Francisco de**

**Coloniæ Agrippinæ**

64. Quale peccatum sit tristitia ex timore.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40916**

caret eo; vt, quia vider hominem doctum, tristatur de illo bono, non quia in altero sit, sed quia ipse eo caret: & hæc tristitia est æmulatio.

Tertio, tristari potest de bono alterius, quia cum tali bono indignum iudicat; vt, qui tristatur de malorum prosperitate temporali, quia indigni sunt: & hæc est indignatio. De quibus vide Arist. 2. Rhetor.

Quarto, potest tristari, quia malum illi vult: quando enim volumus alicui malum, bonum eius nobis displiceret, & hoc est odium.

Quinto, potest tristari de bono alterius, vt propriæ excellentiæ est diminutuum: & hæc tristitia inuidia est, ut diximus.

Sexto, potest tristari, quia illi maius bonum vult; vt, tristatur boni de bono temporali malorum, quando illis occasio-  
nem ad peccatum futuram vident: & hæc tristitia ex charita-  
te est.

Septimo, potest esse huiusmodi tristitia ex iustitia; vt, qui dolet de beneficio collato indigno, quia iniuste datum est: & hæc ex zelo est. Cum ergo multis modis accidat tristari de bono alicuius, uno tantum contingit inuidia; ob id in definitio-  
ne duæ partes positæ sunt, prior communis est alijs præter in-  
uidiam; posterior autem propria est ipsius.

*Quale peccatum sit tristitia ex timore.*

C A P V T L X I V .

**N**on solum de tristitia, quæ inuidia est, sed de alijs etiam oportet considerare, qualiter se habeant. Illa ergo tristitia de bono alterius, quia inde malum timemus, quod ad timorem pertinet, aliquando est peccatum, aliquando non: ob id sunt noranda tria dicta.

Primum est, quando timemus malum iniuste inferendum ab alio, ob bonum ipsi collatum, & nobis certum est tale malum prouenturum, iustum est tristari: vt, eligitur in iudicem homo, qui commitit iniusticias multas, & mihi probabile est commissurum esse, licet mihi tristari de tali potestate ei data. Ratio & signum huius est, quod si ego haberem potestatem priuandi tali potestate illum, in tali casu liceret. Licitum ergo est, tristari de bono alicuius, quo licite possemus cum priuare,

si in

si in nobis esset potestas, ob illam causam, propter quam tristamur, ut dicit Caiet. 2.2. q.36. ar.2.

Secundo, quando malum, quod timemus, instab illo inferendum est, tunc tristari de bono, malum est. v. g. Eligitur in indicem homo rectus, qui vitia exterminabit, & castigabit malos iusta poena, si quis ob timorem tristaretur de potestate illi concessa, male faceret: quamuis enim licet timere ipsum malum, non tamen licitum est ob timorem hunc, displicere, & tristari de bono illius; sicut neque licet ob id priuare illum tali bono. Huiusmodi autem tristitia, si esset ex consensu voluntatis pleno, & esset de magno bono, esset peccatum mortale, sicut inuidia, ut dicemus.

Tertio, quando malum timemus, iniuste quidem inferendum, tamen non est nobis certum, tale malum prouenire, sed leui suspicione colligimus; tunc talis tristitia est mala, sicut esset malum etiam, in tali casu priuare illum tali bono. Per hec possumus iudicare in alijs multis casibus similiter.

### *De æmulatione.*

#### C A P V T L X V .

**A**Emulatio est tristitia de bono alterius, quatenus nos eo priuati sumus. vt diximus. De hac autem tria etiam dicta sunt notanda.

Primum est, cum bona, quæ æmulamur, sunt spiritualia, & ad animæ salutem pertinentia, talis æmulatio sancta est & licita: ut, video hominem penitentem, deuorum, religiosum, contristor ex tali bono, non quia in illo sit, sed quia in me non est, hoc licet, immo laudatur a Paulo 1. Cor. 12. emulamini charis in meliora. 1. Cor. 14. sectamini charitatem, emulamini spiritualia.

Secundum, quando bona, de quibus tristamur, sunt temporalia: si nobis sunt proportionata, licitum est tristari, sicut iam licitum esset desiderare talia: verb. gra. aliquis non habet, quo possit familiam sustinere, videt alios sibi æquales habere, tristatur de hoc, quia simili sustentatione priuatur, bonum hoc est.

Tertium, quando bona sunt temporalia, sed homini tali improportionata, tunc tristari bonum non est, sicut neque desiderare; ut, si mediocris homo tristetur, quia non est Rex, quia

non